



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus

Engel, Ludwig

Salisburgi

Cap. 5. De Obligatione residendi in Parochia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40922

cario pro sua portione major quàm centum, nec minor quàm 50. scutorum annuorum summa computatis omnibus obventionibus assignari, nisi priùs Vicarius majorem portionem percipere solitus fuerit.

- 8 *Quæri* etiam posset penes quem sit cura animarum in unitis Ecclesiis, an penes Vicarium, vel Rectorem loci cui unita est Ecclesia, vel penes utrumque? *R.* Distinguendum esse inter Vicarios perpetuos & temporales, nam in Vicarios perpetuos censetur tota cura translata, adeò ut Rector loci principalis in dictam curam se ingerere audiendo ibidem confessiones, aliave Sacramenta administrando, non possit. In Vicarium autem temporalem seu ad nutum amovibilem tantummodo exercitium curæ transfertur, & ipsa cura adhuc penes Rectorem loci principalis residet, & si per eum exerceatur, intelligitur Vicarius tantisper revocatus. *Barb. de Parocho. p. 1. c. 1. n. 53.*

Alia quædam de Parochijs incorporatis Monasterijs tradita sunt in libell. de Privil. Monaster. *priv. 46.*

CAPUT V.

De Obligatione, quæ incumbit Parocho residendi in sua Parochia.

SUMMARIA.

1. *Ad residentiam de jure divino obligantur habentes curam animarum*

2. *Simo*

2. *Sine licentia Episcopi & relicto Vicario ab Episcopo approbato Parochi abesse non possunt, secus facientes perdunt fructus.*
 3. *Controversia, an Parochus per duos menses abesse sine licentia possit.*
 4. *Negativa verior.*
 5. *Hodie non potest amplius Episcopus dare licentiam, ut Parochus absit studiorum causa.*
 6. *Consuetudo, ut Parochus notabili tempore ultra duos menses absit, est corruptela.*
 7. *Quid possit consuetudo circa residentiam Parochorum.*
 8. *In necessitate repentina quid faciendum Parocho.*
 9. *Non sufficit Parochum esse presentem si nunquam per se ipsum Sacramenta & curam administret.*
 10. *Parochus qui totam curam per suos Cooperatores exercet, tenetur ad restitutionem fructuum, arbitrio tamen boni viri.*
 11. *Pestis non excusat à residentia.*
 12. *Excusat tamen ab administratione Sacramentorum, si idoneus Vicarius substituatur.*
 13. *Regula quaedam notabiles observanda ab administrantibus Sacramenta pestiferis.*
 14. *Qualiter residere teneatur, qui Canoniciatus cum parochia habet.*
 15. *Quis possit remittere obligationem residentiae?*
- O**mnium illorum, qui curam animarum gerunt, residentiam instantissimè urget Concil. Trid. s. 6. de ref. c. 1. & 2. & s. 23. c. 1. Præcepto enim divino mandatum est omnibus, quibus

bus animarum cura commissa est (verbis utor
Concil. d. sess. 23.) oves suas agnoscere, pro his
sacrificium offerre, verbique divini predicatione Sa-
cramentorum administratione, ac bonorum operum
exemplo pascere pauperum aliarumq; miserabilium
personarum curam paternam gerere, & in cetera
munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequa-
quam ab his præstari & impleri possunt, qui gregi suo
non invigilant, neque assistunt, sed more mercena-
riorum deserunt, &c.

- 2 In specie autem de Parochis seu curatis in-
ferioribus statuit Concil. d. s. 23. c. 1. §. eadem
omnino. ut quodocunque eos causa prius per Epi-
scopum cognitâ & probatâ abesse contigerit, Vica-
rium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum
debita mercedis assignatione relinquunt. disceden-
di autem licentiam in scriptis, gratisque conceden-
dam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non
obtineant. Pœna quoque, quam idem Concilium
in d. c. 1. §. si quis autem. contra Episcopos non
observantes illud decretum constituit, statim in
seq. §. eadem omnino ad curatos inferiores ex-
tendit, ita ut & isti præter mortalis peccati reatum,
pro rata temporis absentia fructus suos non faciant,
nec tutâ conscientia, aliâ etiam declaratione non se-
cuta, illos sibi retinere possint, sed teneantur fabrica
Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare &c. quod
si major fuerit contumacia liberum erit Episco-
po per censuras, aut subtractionem fructuum
etiam usque ad privat. onem procedere, d. s. 23.
cap. 1. Porro ex allegatis Concilij textibus

Quæ.

Quær. 1. Utrum Parochus saltem per duos ³
 menses in anno possit abesse sine licentia Superi-
 oris, sicut concessum est Episcopis & Canoni-
 cis *in eadem s. 23. cap. 1.* Non est paucorum
 sententia cum Nav. *in man. c. 25. sub n. 121.*
 constitutionem Concilij ita intelligendam esse,
 quòd Parochus si ultra duos menses abesse velit
 licentiã Superioris impetrare debeat, cæterum per
 duos menses singulis annis ex aliqua causa, quæ
 ipsi Parocho bona fide iusta videtur, sine licen-
 tia abesse possit. Tum quòd Concil. *d. l. in s.*
eadem omninò. inter obligationem residendi,
 quæ est in Parochis, comparisonem faciat, tum
 etiam quòd id de jure antiquo licuerit. *ex c. præ-*
sentium 7. q. 1.

Alij écontra censentes illam comparatio- ⁴
 nem inter residentiam Episcoporum & Curato-
 rum tantum quoad pœnas factam, negant. Paro-
 chum unquam sine licentia discedere posse, pro
 quibus melius facit tex. Concilij, qui vult à Pa-
 rochis licentiam exigere, *quandocunque eos abesse*
contigerit, & mox subjungit, quòd nec cum li-
 centia Episcopi debeant ultra duos menses nisi
 ex gravi causa abesse. atque hanc posteriorem
 sententiam confirmavit declaratio Card. apud
 Garc. *de benef. p. 3. c. 2. n. 23.* & quidem sub
 eo rigore, ut nec per hebdomadam liceat paro-
 cho sine obtenta licentia abesse. quod verò *au-*
thoritate d. cap. presentium. dicitur, de jure anti-
 quo licitam fuisse absentiam duorum mensium
 sine licentia Episcopi, restè negari potest *ex c.*

si quis in Clerico. 7. q. 1. Et c. relatum. 4. de Clero non resid. Unde in *d. c. presentium*, nil aliud disponitur, quàm quòd ob absentiam duorum mensium subexistente causa ægritudinis aliquis beneficio privari non debeat: nihil autem ibidem dicitur, quòd Parochus sine licentia ad duos menses discedere possit, videatur *Garc. d. c. 2. n. 19. Et seqq. Barb. de offic. Par. p. 1. c. 8. n. 58. Et seqq.*

§ Præterea quamvis olim Parochi cum licentia Episcopi potuerint studiorum causâ etiam per septem annos abesse, *cap. cum ex eo. 34. de elect. in 6.* hodie tamen post dict. decretum Concil. Trid. id non ampliùs per Episcopum rectè concedi à S. Congregatione Card. decisum refert *Conzal. ad Reg. 3. Cancell. Gl. 6. n. 351. Barb. in collect. ad d. c. 1. Trid. S. 23. n. 55.*

6 *Quer. II.* Utrum consuetudo alicujus loci valeat residentiam Parochorum immutare? R. Circa residentiam duo consideranda esse, nimirum I. Obligationem *residendi*, & II. Obligationem *petendi licentiam*: si justa causa absentiae subsit. Obligatio *residendi*, in genere, penes eos qui curam animarum gerunt, nulla consuetudine tolli potest, cum sit jure divino præcepta *Trid. s. 23. de ref. c. 1.* contra quod jus consuetudo nihil operatur. At verò obligatio *petendi licentiam discedendi* suppositâ justâ causa discessus, cum sit mero jure humano pontificio introducta, absolutè quidem loquendo per contrariam consuetudinem tolli potest; si

tamen ex tali consuetudine liceret Parocho notabili tempore ultra duos menses abesse sine licentia Superioris, illa (*jux. tex. in Concil. Trid. d. c. 1. §. eadem omnino.*) corruptela & consequenter invalida foret propter multa inconvenientia, quæ inde nascerentur. Nam Parochi nullâ petitâ licentiâ ab Episcopo nullum etiam ab eodem sui loco peterent Vicarum, & sic sæpè cuicumque obvio curam animarum per longius tempus cum multis periculis committerent. Deinde successu temporis eò res deveniret, ut Parochi non tantùm sine licentia, sed multoties etiam sine justa causa oves suas desererent & mercenarijs committerent.

Sed ut consuetudine licitum sit Parochis 7 per unam vel alteram hebdomadam ex justa & rationabili causa & sine periculo demnificandi gregem substituto interea idoneo Vicario abesse, non improbare audeo, maximè si propter distantiam loci difficilis ad Episcopum aditus pro obtinenda licentia habeatur, & ad modicum tempus 6. vel 7. dierum substitui posse Vicarium pro suo arbitrio etiam sine præscitu Episcopi vel vicinum Parochum ex recepta consuetudine tradit Barb. *de Parocho p. 1. cap. 8. n. 52.* Imò ampliùs dico, si de consuetudine in aliquo loco Parochi etiam per duos menses continuò abessent ex justa tamen causa, posset satis tolerari. quia per talem consuetudinem videretur declarata illa controversia, quam in priori quæstione tradidi. Constat enim, quòd in dubio jure

optima legum interpret sit Consuetudo *l. si. de interpretation. 37. ff. de LL. consentit Laym. in Theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 6. n. 7.*

Quar. III. Quid faciendum Parocho, si necessitas tam repentina sit, ut pro obtinenda
 8 licentia Episcopum nequeat adire? † R. Parochum debere post discessum suum, quamprimum potest Episcopum de causa absentiae certiorare, ut is de iustitia causae cognoscere, & tempus revertendi determinare possit, *Garr. de benef. p. 3. c. 2. n. 34*

Quar. IV. An Parochus satisfaciat suae obligationi, si quidem in parochia praesens, sed
 9 omnia per suos Capellanos exercent? R. Parochum teneri saltem aliquoties, & maxime si Parochiani ipsum in specie petierint per semetipsum curam & Sacramenta administrare. *c. re-latum. 4. de Cler. non resid. c. extirpanda 30. §. quia vero. de prob.* Cum enim Parochus pro animabus sibi commissis rationem reddere teneatur, sanè ipsemet experiri debet, qualiter in via salutis instructae sint. Unde notanter Jo. Sanch. *in Sel. disp. 47. n. 7.* Hinc inferes, pro dolor! inquit, quam malè aliqui Parochi se gerant, Sacramenta nunquam aut fermè nunquam administrantes, & suarum ovium curam mercenarijs committentes, qui cum ut plurimum Sacerdotes inopes & egentes sint, timeri non imprudenter potiùs rationem habituros querendi ab ovibus victum, quàm curam medendi infirmitatibus animae, complacere eis studentes,

quan-

quando respuendæ & reprehensionis gladio feriendæ &c.

Quar. V. An Parochus ad restitutionem teneatur, si totam curam per Cooperatores exerceat? † Negativè respondet Garc. *de benef.* 10 p. 2. c. 2. n. 53. eò quòd in jure cautum non reperitur, pœnalia verò extendenda non sint. Contrarium tenet Sylv. *v. Residentia.* n. 1. & 6. Jo. Sanch. *d. l. n. 6.* Jac. de Graf. *in decis. aur.* l. 2. c. 92. n. 57. nam ex horum doctrina non intelligitur residere, nisi qui Sacramenta administrat, cùm verba accipienda sint cum effectu. Ego hanc posteriorem sententiam judico verbis (c. 4. *de Cler. non resid.* & *Concil. Trid. s. 23. cap. 1.*) menti ac rationi legis esse conformiorem & propterea amplectendam, sub hac tamen moderatione; ut ex sola residentia personali, præcisa ab administratione, credam Parochum saltim medietatem fructuum lucrari, quia experienciâ constat, quòd Parochiani ex sola etiam præsentia personali magnam utilitatem percipiunt, dum in quacunque necessitate recursum ad Parochum habent, & Sacramenta per Capellanos præsentem Parocho ipsis diligentius administrantur. Prætereà in illa parte fructuum, quæ restituenda est, judico intervenire debere arbitrium boni viri, ut plus vel minus pro qualitate & gravitate negligentiae restituatur. Imò non dubitaverim, quandoque Parochum etiam rariùs per se administrantem Sacramenta, ad nullam restitutionem teneri, si reverà comperiat suos Parochia-

chianos sufficienter, & fortè meliùs per Capellanos, quàm per se ipsum instrui.

Quer. VI. An causa grassantis contagionis excuset Parochum à residentia? † Negative fuisse decisum instante S. Carolo Borr. licèt Parochus pestem fugiens alios idoneos Ministros sui loco substituere vellet, ex Selva refert Barb. *in d. c. 1. Trid. f. 23. n. 60.* quia utique in calamitoso illo statu Parochiani ex præsentia proprij Parochi magnam consolationem habent; is enim cùm optimè noscat conditionem suorum subditorum, sine dubio in quotidianis occurrentijs tum circa Sacramentorum administrationem, tum circà alias necessitates repentinas meliùs per se vel per alium disponenda disponere poterit, quàm si ipso absente novus Vicarius ad
² tam quotidiana pericula constitueretur. † Illud nimis durum esset dicere, quòd Parochus eousque obligetur, ut etiam per se ipsum Sacramenta tempore pestis administrate teneatur, si idoneum Vicarium vel aliquos viros Religiosos habere possit. Non enim videtur mens fuisse Concilij, ut Parochus, qui fortè multùm est utilis Parochiæ, cogatur sine necessitate præsentissimum vitæ periculum subire: dico, sine necessitate, nam si Parochus alios per quos administrare habere non possit, tenebitur tanquam bonus pastor vitam suam corporalem, pro vita spirituali ovium sibi commissarum exponere.

Sed advertendum est Parocho, ut tempore pestis in administrandis Sacramentis cautè se

gerat, ne ex ipsius præmature obitu plures alij spirituale damnum patiantur. Quare in eum finem aliquas bonas regulas ex Consilijs Medicorum & Theologorum collectas Parochis & Confessarijs pestiferorū tradidit Hen. Manigart. *in suis floribus selectis ad fin.* quarum potiores pro utilitate aliquorum, quibus is libellus forsan incognitus est, hinc subnotare volui.

I. Curandum ut ex præscripto Medici bona præservativa ad manum habeantur.

II. Tempore pestis non utendum longâ veste quæ protendatur infra genua, nec quæ sit ex materia pilosa, ad quam venenum facilius recipitur.

III. Non visitentur ægroti manè, vel saltem non nisi sumpto jentaculo. Si necessitas urgeat jejuno stomacho ægrum adire (quia is morbus dilationem non patitur, nocet parvula mora) apponatur ad nares parùm Theriacæ, strophium aceto tinctum vel aliud præservativum applicetur.

IV. Cauterium à chyrurgo factum & Medici experientia, optimum esse præservativum docent.

V. Confessarius audiat ægrum à longè, & si fieri potest, curet ut accedat ad fenestram, vel ad portam, aut ad hortum, & semper stet ab illa parte, ubi ventus flat versus ægrum.

VI. Si æger non possit se movere & pastor seu Confessarius domum ingredi cogatur, stet quinque aut sex pedibus à lecto ægri retrò caput ipsius,

ipſius, jubeat ut æger vertat faciem verſus aliam partem: nec moveantur tegumenta lecti: curet ſuper lateres vel lapides accenſos in igne in medio cubiculo poſitos infundi acerum ad fumandum, & inter ipſum & ægrotum ſit aliquis ignis vel carbones accenſi; caveat autem ut nunquam ſtet inter ignem & ægrotum.

VII. Si æger non poſſit altè loqui, ſed Confefſarius debeat propè accedere, & ita ſe majori periculo exponere, non erit neceſſe, ut omnia peccata audiat, ſed poteſt rogare ægrum, ut ſtatim de uno vel altero peccato in particulari & de omnibus alijs in genere ſe accuſet, quia in tanto periculo non requiritur confefſio materialiter integra.

VIII. Si plures jaceant in eodem cubiculo ægroti, qui propter inſtans mortis periculum ſinguli ſeparatim confiteri nō poſſint, debebunt omnes ſimul abſolvi (ſicut etiam ſit in conflictu vel naufragio) formâ plurali: *Ego vos abſolvo &c* dummodo ſinguli unum vel alterum peccatum palâ confiteantur, quod ſine ſcandalo vel notabili ſui infamia confiteri poſſunt, vel ſi nullum in ſpecie exprimere valeant, generalem Confefſionem faciant aut ſigna pœnitentiæ edant.

IX. Confefſarius recedens à peſtiferis purget ſe & veſtimenta ſua, Albam quoque & Stollam & corporale per ignem & fumum aliquem, vel per aſperſionem & lotionem aquæ frigidæ, quæ veneno plurimum inimica dicitur.

X. Conſe

X. Pro cautela Parochorum placuit ad-
 scribere verba Pauli Laym. *lib. 2. tract. 3. c. 3.*
n. 3. quæ etiam habentur apud Joan. Major.
in 4. dist. 23. q. 1. Barb. de Paroch. p. 2. c. 17.
n. 15. Cavere, inquit, debet Parochus, ne
 dum pestis tempore unius non graviter indi-
 gentis spirituali utilitati consulere intendit, plu-
 res alij ex ipsius occubitu graviolem jacturam
 spirituales patiantur. Quare *si solus sit*, non
 facile debet cum vitæ suæ periculo Sacramen-
 ta, quæ non admodum necessaria sunt, vel se-
 cundùm se, ut extrema Unctio (quæ qualiter
 tempore pestis conferenda sit dicam ipse infra
 in cap. de extrema Unct.) vel respectu per-
 sonarum, quarum bonum statum Confessarius
 probabiliter cognitum habet, quia nuper ea-
 rum confessiones exceperat. Denique quo-
 tiescunque ab aliqua persona, quam verissimi-
 libus conjecturis Sacerdos credit non habere
 conscientiam peccati mortalis, vel per contri-
 tionem rectè ad moriendum dispositam esse,
 probabilissimè timetur periculum contagionis, in
 tali casu majus bonum publicæ necessitatis
 præferendum privatæ alicujus utilitati.

Quer. VII. Qualiter residere teneatur, ¹⁴
 qui præter canonicatum Cathedralis Ecclesiæ
 etiam Parochiam obtinet? Resp. Nisi simul
 legitimè obtentum sit, ut in Parochia per Vica-
 rium deserviat, personalis residentia faciendæ
 erit in Parochia ob favorem curæ animarum.
Constit. Pij. V. cupientes; & Canonicus taliter

curam exercens, habebitur pro præsentem etiam quoad distributiones quotidianas, *Trid. s. 22. de refect. c. 3.* si tamen Parochia fuerit Canonici unita; si autem ex dispensatione (quæ utpote contra jus est strictioris interpretationis) acquisita, habebitur Canonicus curam exercens solum pro præsentem quoad fructus annuos, non distributiones. *d. Bulla. cupientes. Barb. de offic. Epis. alleg. § 3. n. 127. Garc. de benef. p. 3. cap. 2. n. 179.*

- 15 *Quer. VIII.* Cùm residentia curatorum de jure divino sit, quomodo relaxari valeat? *R.* Esse tantum juris divini in thesi & regulariter, in hypothesis verò & singulis circumstantijs frequenter dari hac regula exceptionem, si modò per idoneum Vicarum curæ provideatur? & quidem circa absentiam perpetuam vel diuturnam, exceptionem legitimam declarare ad S. Pontif. pertinet, circa brevem v. g. aliquot mensium, etiam ad Episcopum, vide *Laym. in Theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 6.*

CAPUT VI.

De Obligatione Parochi recitandi Horas Canonicas.

SUMMARIUM.

1. Beneficiatus etiam curatus omittens Horas Canonicas tenetur ad restitutionem.
2. Controversia an Parochus ad omnes fructus restituendus teneatur ex omissione Breviarij.
3. *Æquior*